



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. Quæ dispositio requiratur ad digna[m] sumptionem huius
Sacramenti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

res breviter hic resolvenda. Prima est, an qui praevidet se impediendum, ne in paschate communice, teneatur tempus praescriptum praevire?

Respondeo breviter, quod si timeretur futurum impedimentum, pro tempore paschali tantum, non teneretur quis praevire; bene tamen si praevidet fore, ut neque tempore paschali, neque reliqua parte anni, communicare possit. Nam duo praecepta virtualiter traduntur in capite citato, *Omnis utriusque sexus*. Unum est ne communio ultra annum differatur, cum dicitur, *Et suscipiat reverenter ad minus in Pascha*; quemadmodum ibidem immediate antea praecipitur, ut ne confessio ultra annum differatur, cum dicitur: *Semel saltem in anno confiteatur*. Alterum est, ut propter reverentiam & solemnitatem diei festi, communicatio illa annua fiat in paschate, quantum fieri potest. Licet ergo ratione huius secundi praecepti non teneatur praevire tempus, quia illud determinatum tempus respicit, bene tamen ratione primi, quia impletio eius, tempore Paschali addicta non est, sed est determinatio praecepti divini obligantis aliquoties in vita communicare, ut conclusionem praecedenti ostensum est. Unde qui longissimam navigationem aggrediens, praevideret se toto anno cariturum hoc sacramento, teneretur antequam mari se committeret, illud suscipere.

12. Secunda difficultas est, an qui tempore Paschali omisit communionem, liber sit à praecepto usque ad sequens Pascha?

Respondeo negativè, quia, ut diximus, praeceptum communionis Paschalis, continet duo virtualiter & aequivalenter, unum communicandi, saltem semel in anno; alterum id faciendi tempore Paschali, propter reverentiam festi Paschalis; quamvis ergo qui tempore Paschali omisit communionem, liber sit ab isto praecepto, cum elapso tempore Paschali impleri non possit, & nemo illud teneatur ad impossibile; non tamen à primo, istud enim obligat ad hoc ut annus non praeterat sine comunione, si ne ultra annum differatur tam salutare remedium; unde istud praeceptum non est additum tantum tempori, sicut alterum; nec est purè affirmativum, sed etiam virtualiter negativum, quatenus includit prohibitionem de non differendo ultra annum hoc sacramento. Unde continuo peccat ille qui cum possit communicare, non communicat; sicut continuo peccat ille, qui cum possit restituere, non restituit.

13. Tertia difficultas est, an qui in peccato mortali sacrilegè communicat, satisfaciatur praecepto communicandi?

Respondeo etiam negativè: nam praeceptum Ecclesiae est determinatio praecepti divini; unde videtur Ecclesia talem communionem praecipere, qualem Christus praecipit: Sed Christus praecipit manducationem piam & salutarem, cum praeeperit illam ut medium ad nutritionem spiritualem animae, & ad conservandam vitam spiritualem gratiae & charitatis, juxta illud Joan. 6. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*: Ergo & Ecclesia illam praecipit.

14. Haec ratio potest hoc exemplo confirmari & magis illustrari. Nam quia praecepto naturali tenemur ad materialem cibum sumendum ut medium conservativum vitae corporalis; non satisfaciemus huic praecepto naturali, si sumentes cibum materialem, illi obicem ponamus, ne nostram vitam corporalem nutriat: Ergo similiter, quia praecepto divino, cuius praeceptum Eccle-

siæ est determinatio, obligamur ad sumendum Sacramentum Eucharistiae, ut conservemus vitam spirituales, neutri praecepto satisfaciemus, si sumentes hoc sacramentum, obicem ponamus quominus illud animam nostram spirituales nutriat.

Confirmatur secundò: Si praelatus alicuius firmo praeciperet ut sumeret cibum, huic praecepto non satisfaceret, si sumeret cibum venenum infectum, qui ei mortem afferret: Ergo similiter nec praecepto Ecclesiae satisfaciunt, qui in peccato mortali suscipiunt Eucharistiam, cum tamen illa non sit ei cibum, sed venenum. Unde Augustinus tract. 26. in Joan. *Nonne buccella Domini nenum fuit Iuda?* Et tamen accepit. Et cum accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum malè malum accepit.

Confirmatur: Eadem videtur ratio de praecepto communionis, ac de praecepto confessionis: Sed qui facit confessionem sacrilegam, & voluntariè nullam, non satisfaciunt praecepto novae confessionis, ut declaravit Alexander VIII. in Congregatione generali Inquisitionis habita die 24. Septembris anni 1665. & oppositam sententiam, quam aliqui recentiores Caluiz decernunt, ut temerariam, & scandalosam damnant: Ergo pariter qui in peccato mortali sacrilegè communicat, non satisfaciunt praecepto novae communionis: quamvis Suarez, Vazquez, Cocinck, Martinus, & alii recentiores oppositum doceant, quia nimirum existimant, Ecclesiam actus merè internos non posse praecipere. Sed hoc fundamentum non est solidum; dixerim quod Ecclesia non possit directè & simpliciter praecipere actum internum, secundum nomen, & indirectè, illum jubere potest; quod scilicet actus interior necessarius est, utiam exterior sit bonus: unde per se loquendo habet potestatem super actus exteriores, super actum verò interiorum, per accidens, & ratione actus exterioris, in quantum est forma illius. Si Ecclesia praecipit Inquisitionibus sub pena excommunicationis, ut non procedant contra aliquem odio, & in cap. *Volentes*, de celebratione Missarum, jubet confessionem quotannis fieri fidelium, & officium divinum *studiosè & devotè* à Clerico celebrari. Cur ergo similiter singulis fidelibus praecipere non poterit, ut singulis annis, in festo Paschatis, piè & salubriter communice, nihil apponendo obicem spirituali nutritioni, & gratiae sacramentali?

ARTICULUS IV.

Qua dispositio requiratur ad dignam summptionem huius sacramenti?

Disputatione praecedenti ostendimus, ad consequendum augmentum gratiae habitualis ex opere operato, non requiri necessarium actualem devotionem, aut immunitatem à peccatis venialibus, quia carentia sola actualis devotionis, non est impedimentum ad gratiam augendam, neque specialis aliqua irreverentia quae sit peccatum mortale. Unde solum hic agendum est de aliis dispositionibus tum ex parte animae tum ex parte corporis requisitis ad dignè & fructuosè recipiendum hoc sacramentum.

Dico ergo primò, ad hoc ut peccator dignè & fructuosè recipiat hoc sacramentum, non sufficere solam fidem, imò nec attritionem super naturalem, cognitam ut naturalem.

18 Prima pars est contra Lutherum, qui (ut refert Soto in 4. dist. 12. quæst. 2. art. 4.) negat accedere ad hoc sacramentum ullâ opus esse animi præparatione, nisi solâ fide & confidentiâ quod sit per ipsum gratiam obtenturum. Imò ita desipit, ut dicat tantò paratiores esse homines, quantò gravioribus peccatis sunt onusti, dummodo habeant fidem. Hic error proscribitur à Tridentino sess. 13. can. 11. his verbis: *Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimam Eucharistiam sacramentum, anathema sit.*

19 Confutari etiam potest ex illo 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Ibi enim non agitur de probatione fidei, sed conscientie peccatorum, de quibus ibi Paulus reprehendit Corinthios à versu 20. usque ad 33. quia nonnulli ditiores Ecclesiam prophanabant, in ea sumptuosam cenam sumentes; fideles alios scandalizabant; & contemptis pauperibus, quos esurientes relinquebant, ipsi crapulæ & ebrietati vacabant.

20 Secunda etiam pars conclusionis omnino certa est, quia in hoc distinguuntur sacramenta vivorum & mortuorum, quod quia ista sunt instituta ad canonizandam primam gratiam; accedere ad illa in peccato mortali, cum sola attritione supernaturali cognita ut tali, non est indignè ad illa accedere, neque subinde ponere obicem effectui ipsorum: è contra verò quia sacramenta vivorum non sunt instituta nisi ad augendum gratiam, consequenter accedens ad illa in peccato mortali, cum sola attritione supernaturali cognita ut tali, peccat mortaliter, & ponit obicem effectui sacramenti. Unde Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 9. *Nemo cibum accipit Christi, nisi quis fuerit ante sanatus &c.* Vbi ergo in hoc mysterio hic ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensæ celestis exuberet. Et Basilii lib. 2. de Baptismo: *Mundemus nos (inquit) ab omni inquinamento, atque ita ad sanctam accedamus, ut iudicium eorum qui Dominum occiderunt effugiamus.* Propterea quod quisque ederet panem, biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Dixi autem cum sola attritione supernaturali, cognita ut tali, quia peccator accedens ad Eucharistiam cum attritione supernaturali, quam existimat esse contritionem, non accedit indignè ad hoc sacramentum, nec peccat, quando non habet copiam Confessarii, ut patet ex infra dicendis.

21 Dico secundò, qui habet conscientiam peccati mortalis, si habeat copiam Confessarii, tenetur præmittere confessionem, si velit communicare; & non sufficit habere contritionem seu conari ad illam; idque non solum jure Ecclesiastico, sed etiam divino, præceptum est.

Prima pars hujus conclusionis est omnino certa, & definita in Tridentino sess. 13. cap. 7. his verbis: *Communicare volenti necessariò revocandum est in memoriam, ejus (scilicet Apostoli) præceptum, probet seipsum homo.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod à Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus quibus ex officio incumbit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò observandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris, Quod si neces-

A sitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. Et can. 11. ponitur excommunicationis pœna ei qui contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit.

22 Quod autem hoc sit de jure divino, & non solum Ecclesiæ præceptum, probatur ex verbis illis Apostoli, *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis*; ex illis enim verbis colligitur, ipsum ea quæ tradit de communione accepisse à Domino: Sed Apostolus tradit præceptum de præmittenda confessione, dum dicit: *Probet autem seipsum homo*; ita enim explicat & intelligit hæc verba Tridentinum citatum: Ergo illud est præceptum Christi, proindeque Divinum & non purè Ecclesiasticum. Unde Concilium ibidem ait, se solum consuetudinem Ecclesiæ declarare, non verò statuere legem hanc.

23 Confirmatur ex regula quam habet Augustinus 3. de Baptismo cap. 24. indicium juris divini est quando aliquid in Ecclesia perpetuo servatum est, cujus initium ignoratur: Sed talis est hæc consuetudo, ut patet ex Nicæno cap. 11. & 12. Ancyranò can. 4. & Tridentino citato, necnon ex SS. Patribus id passim asserentibus: Author enim de salutariis documentis apud Augustinum cap. 33. sic ait: *Quando enim illud (id est corpus Domini) accipere debemus, antea ad confessionem & penitentiam accedere debemus, & omnes actus nostros curiosius discutere, & peccata obnoxia si in nobis senserimus, citò festinemus per confessionem & veram penitentiam ablueri.* Et Richardus Victorinus de potestate ligandi cap. 21. *Audacter dico, si ante Sacerdotis absolutionem ad communionem corporis & sanguinis Christi accesserit, iudicium sibi pro certo manducat & bibit, etsi eum peccasse jam multum pœniteat, & vehementer doleat & ingemiscat.*

24 Dices, alii SS. Patres asserunt ad dignè communicandum solam discussionem conscientie cum interno animi dolore sufficere: Chrysostomus enim homil. 28. in 1. ad Corinthios, post initium, sic ait: *Neque jussit alteri alterum probare, sed sibi seipsum, faciens iudicium, ad quod populo non pateat aditus, & probationem que careat testibus.* Et Theophylactus in eandem Epistolam, explicans, quæ conscientie præparatio necessaria sit ad dignam sumptionem Eucharistiæ, hæc scribit: *Non alium tibi iudicem attribuo, verum teipsum tibi commodo. Iudica igitur & explora conscientiam tuam, & sic accede, non quando fuerint feriæ, sed quando purum teipsum ac dignum inveneris.*

25 Respondeo illos SS. Patres his locis solum negare confessionem publicam esse necessariam ad dignam Eucharistiæ sumptionem, sed id non asserere de privata, quæ fit inter pœnitentem & Confessarium, ut patet ex verbis Chrysostomi, quibus solum negat necessarium esse iudicium populi, & probationem testium, non autem iudicium & probationem Confessarii.

Dices rursus, Suscipere alia sacramenta vivorum cum sola contritione, non est peccatum mortale, nec ullibi videtur prohibitum: Ergo idem dicendum est de sumptione Eucharistiæ.

Sed nego consequentiam & paritatem, eam enim sacramentum Eucharistiæ realiter continet Christum, ejus sumptio majorem præparationem requirit, quam susceptio vel ministratio aliorum Sacramentorum.

Dico

Dico tertio, quando quis non habet copiam A Confessarii, & urget gravis necessitas, licet potest ad Eucharistiam accedere sine confessione, cum contritione, vel attritione supernaturali, quam contritionem existimat.

26 Prima pars hujus conclusionis est expressa in Tridentino supra citato, nam de Sacerdote celebrante sine copia Confessoris dicit: *Quod si necessitate urgente debeat celebrare &c.* Ergo supponit in casu necessitatis licitum esse communicare, vel celebrare, non praemissa confessione, si non adsit copia Confessoris. Unde ut quis licet possit communicare vel celebrare, non praemissa confessione, haec duae conditiones necessarii requiruntur, scilicet carentia Confessoris, & necessitas communicandi. Alterutra deficiente non licebit; si enim sit copia Confessoris, tenebitur confiteri; si non urget necessitas, tenebitur a communione abstinere.

27 Si autem queras, quando nam censeatur non esse copia Confessoris, & gravis urgeat necessitas?

Respondeo in multis casibus id posse contingere. In primis enim verificatur quod non sit copia Confessoris, quando Confessor non est praesens actu, vel non est in tali distantia unde possit commodè venire, vel Sacerdos illuc accedere, aut ob infirmitatem, corporisve imbecillitatem, aut ob temporis (nivium scilicet, pluviarum, ac ac inundationum) rigorem; aut ob latronum in itinere existentium periculum, aut ob alias similes urgentes causas. Secundò, si Sacerdos sit quidem praesens physice, sed tamen sit impeditus vel infirmitate, vel surditate, vel alia occupatione quâ nolit confessionem audire, censeatur moraliter abesse. Tertiò, si ex parte sua sit dispositus audire, ex parte tamen mea probabiliter timeo, quod ex tali confessione imminet mihi periculum aut revelationis confessionis, aut alterius damni gravis pro me vel pro meis, perinde est ac si non haberem copiam Confessoris. Unico verbo, quidquid excusat ab integritate confessionis, quando non est alius Sacerdos, excusat in nostro casu à praemittenda confessione, si non habeo aliud peccatum mortale quam illud ex cujus revelatione imminet periculum; vel excusat ne illud confitear, sed alia, si alia peccata habeam. Non placet verò quod ab qui docent, nimirum tunc etiam censeant Confessoris inopia, quando non adest proprius Confessarius, vel alter cui possim devotius & utilius confiteri; quia hoc non est moraliter deesse Confessorem, sed solum deesse commoditatem meam. Et sanè reverentia huius sacramenti debita, pravalet privata utilitati & devotioni, & obligat me ad hoc ut Sacerdoti tunc praesenti confitear, licet aliquid amplius ruboris aut verecundiae patiar cum tali Confessario quam cum alio.

28 Quid autem nomine urgentis necessitatis intelligatur, non potest unica regula assignari, sed adducuntur variae causae ab Authoribus, quae tamen ad quatuor principales reduci possunt. Primo ad periculum mortis, tunc enim potest contingere quod non sit Sacerdos qui possit absolvere, quia verbi gratia non est nisi mortuus, qui tamen potest conferre sacramentum Eucharistiae. Secundò ad periculum infamiae, vel scandali gravis, si communio vel Missa omittatur. Tertiò ad necessitatem ipsius sacrificii, quando jam inchoatum est, & non potest sine gravi scandalo Sacerdos confiteri peccatum, cujus tunc recor-

datur. Quarto propter necessitatem populi, ne maneat sine Missa, quae ratio solum habet locum in Parochiis, qui tenentur officio carere ut populus missam audiat, non verò in alio loco. Quintò ad communicandum infirmum, alioquin viatico moriturum.

Ceterum quia Tridentinum citatum, non solum declarat praeceptum divinum de praemittenda confessione ante Eucharistiam, sed etiam praecipit, ut si forte urgente necessitate, & confessione deficiente, Sacerdos absque confessione celebraverit, quamprimum censeatur, quarum hic Theologi, quos non habet praeceptum, quoad Ecclesiasticum est, comprehendat, an solos Sacerdotes, vel etiam laicos.

Respondeo breviter, sub hoc novo praecepto non comprehendendi, nisi solos Sacerdotes celebrantes, quia cum sit penale, extendi non debet, nisi ad eos ad quos verba Legislatoris in propria significatione sumpta se extendunt: At verum Concilium non se extendunt nisi ad Sacerdotes celebrantes, ut patet ex ipso textu, colliguntque sine praecepti, qui est ne Sacerdotes quibus officio celebrare incumbit, praeterea urgente necessitate, sepe celebrent, praetermissa confessione sacramentali. Dixi Sacerdotes celebrantes, quia de Sacerdotibus more laicorum communicantibus, eadem est ratio ac de laicis.

Secunda verò pars conclusionis, quae dicitur quod Sacerdos qui urgente necessitate & confessione deficiente, absque praevia confessione celebrat, debet tunc habere contritionem, vel saltem attritionem quam existimat contritionem, patet ex dictis in prima conclusione; cum enim Eucharistia sit sacramentum vivorum, per se & directè non dat primam gratiam, sed imponit illam esse in subiecto, subindeque dispositio quae ad illam praerequitur, talis debet esse quod det primam gratiam ante assumptionem sacramenti, vel saltem probabiliter existimetur talis esse: Sed attritio cognita non dat primam gratiam sine sacramento: Ergo non est sufficiens dispositio ad Eucharistiam, sed requiritur contritio, vel saltem attritio quae invincibiliter censeatur contritio, licet enim sit sacramentum vivorum, per accidens tamen aliquando potest causare primam gratiam, ut disputatio praecedens in conclusione ultimâ, quaesito 2. declaravimus.

Dico quarto, ex parte corporis duplex requiritur dispositio ad communionem, altera necessitatis, scilicet quod communicans sit jejunius, altera decentiae & congruitatis, nimirum quod non sit pollutus intra illum diem.

Prima pars constat ex consuetudine Ecclesiae, quae ab Apostolis manasse dicitur, & in variis Conciliis confirmata est; ut in Concilio Cypriano 3. can. 29. Toletano 7. can. 1. & in laterana Synodo Trullana can. 27. & demum in Concilio Constantiensi sess. 13. idemque tradidit Patres Cyprianus, Augustinus, Ambrosius, Basilii, & alii.

Non desunt etiam congruentiae. Prima est propter reverentiam huius sacramenti, ut scilicet in os hominis intret non dum aliquo ebore potu infectum, Unde Augustinus Epist. 118. a refertur Can. Liquido de consecrat. dist. 2. Plena Spiritui Sancto ut in honorem tanti sacramenti, prae in os Christiani Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. Nam ideo per universum orbem maius observatur. Secunda propter significationem

ut nimirum significetur quod Christus & charitas eius debent primo fundari in cordibus nostris, & ut iudicetur fidelibus, Christum debere esse primum eorum cibum.

33 Dices, Christus communicavit Discipulos non jejunos: Ergo etiam Ecclesia fideles non jejunos communicare debet.

Sed nego consequentiam, nam factum Christi non est trahendum in consequentiam, quia habuit speciales rationes, puta quia Christus debuit prius implere figuram per esum agni paschalis, quam veritatem instituire. Olim tamen in primitiva Ecclesia feriâ quintâ sanctioris hebdomadæ, ob memoriâ cœnæ Dominicæ, & Christi imitatione, Sacerdotes post cœnam celebrabant, & fideles communicabant. Quem morem servatum fuisse aliquandiu in nonnullis privatis Ecclesiis testatur Augustinus Epist. cit. sed postea in Conc. Braccarensi 1. can. 16. revocatus est.

34 Difficultas verò & controversia est, quale jejunium requiratur ad sumendum sacramentum Eucharistiæ, an naturale, quod solvitur per quaecumque cibi & potus sumptionem; vel Ecclesiasticum, quod per parvam cibi vel potus sumptionem non solvitur. Goffredus enim & Joannes Parisiensis apud Sylvestrum, verbo Eucharistiæ 3. quæst. 6. putant sufficere jejunium Ecclesiasticum, cum hoc sit præceptum Ecclesiasticum. Communis tamen reliquorum sententia est, constanti totius Ecclesiæ consuetudine firmata, requiri ad sumendum hoc sacramentum jejunium naturale, nec sufficere Ecclesiasticum. Constat ex Concilio Toletano 7. can. 2. ubi prohibetur Missæ celebratio post quaecumque minimum cibum sumptum Ex cap. Ex parte, de celebrat. Missarum, prohibetur Sacerdoti ne in festo natalis Domini Missam secundam dicat, si forte in prima ablutionem acceperit, cum tamen hæc jejunium Ecclesiasticum non impediatur. Id etiam colligitur ex ipsa prohibitione Ecclesiæ, quæ præcipit hoc sacramentum sumi à jejunis, non à jejunantibus: At jejunus non est, nisi qui naturæ jejunium servat, jejunans verò dicitur etiam qui naturæ jejunium violat: Ergo ad sumendum Eucharistiæ sacramentum, jejunium naturale requiritur, nec sufficit Ecclesiasticum. Unde qui post assumptum aliquid cibi vel potus, non jejunis jejunio naturæ communicat, mortaliter peccat, nisi inadvertentia vel ignorantia eum excuset. Ob hanc Cajetanus in summa, verbo, Communio, excusat quandam bonum Sacerdotem, qui nesciens distinguere inter jejunium Ecclesiasticum, & jejunium naturæ, pro reverentia sacramenti præcipiebat nucem muscatam, ut bonum odore stomachi Eucharistiæ præpararet.

35 Sunt etiam multi casus in quibus licet non jejunio hoc sacramentum sumere. Primus est, quando datur per modum Viatici: tum quia tunc infirmitas non potest his legibus astringi, pluresque sine Eucharistia decederent, si jejunium solum possent communicare, quod esset eis denegare magnū subsidium pro morte felici. Tum etiam quia cum sit præceptum divinum sumendi Eucharistiæ per modum Viatici, cum infirmo imminet mortis periculum, præceptum divinum prævlet Ecclesiastico de jejunio. Imò si post sumptum Viaticum iterum in eadem infirmitate velit communicare infirmus, non est ei denegandum hoc solatium, ut colligitur ex Rituali Rom. Pauli V. quò præcipit Pontifex, quod si exger, sumpto viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum

Tom. V.

mortis evaserit, & communicare voluerit, ejus pio desiderio Parochus non deerit. An vero liceat infirmo bis eadem die communicare, semel jejunio per modum communionis, iterum non jejunio per modum viatici: affirmant aliqui ex Patribus Societatis, quos suppresso nomine refert Amicus hic disp. 27. idq; factum fuisse in morte P. Claudii Aquavivæ, Generalis ejusdem Societatis, testatur ibidem. Hæc tamen sententia non videtur probabilis, nec in praxi sequenda; cum omnes Doctores affirmant, non licere bis in die communicare, idq; Ecclesiæ consuetudo, & unitas passionis Christi, quam hoc sacramentum representat, efficaciter ostendant, ut docet Thomas hic art. 10. ad 4. & in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 1. quæstionum. 4. & patet ex cap. sufficit, de consecr. dist. 1. ubi prohibetur Sacerdoti plures quam unam Missam in die celebrare, præterquam in Nativitate Domini. Si tamen urgeret gravis aliqua necessitas, ut si quis manè communicavit, & vespere incidit in articulum mortis, & habet conscientiam peccati mortalis, nec adest tunc Confessarius cui possit illud confiteri, sed solum Diaconus qui potest illi Eucharistiæ ministrare: tunc posset moribundus, sive laicus sit, sive Sacerdos, eadem die communionem iterare, quia in illo casu, iterata communio censeretur illi necessaria, ut nimirum per susceptionem hujus sacramenti, per accidens reciperet primam gratiam, & fieret de attrito contritus.

36 Secundo potest sumi sacramentum à non jejunio, quando id est necessarium pro ipso Sacramento perficiendo; ut si consecrata alterâ specie Sacerdos reconiter se non esse jejunum, teneatur perficere & sumere. Item si sumpto calice videat non esse vinum id quod sumptis, teneatur iterum consecrare & sumere. Similiter si post inchoatum Sacrificium Sacerdos moriatur, vel infirmetur, & non inveniat alius Sacerdos jejunus, debet Sacerdos etiam non jejunus perficere sacrificium.

37 Tertiò, si Sacerdos post ablutionem sumptam reperiat aliquas particulas à se consecratas quæ commodè servari non possint, potest & debet illas sumere, cum sint ejusdem sacrificii reliquæ, & ad integrale complementum illius pertineant. Non potest tamen tunc sumere alias particulas quas alius Sacerdos consecravit; quia alia est ratio de iis quæ ipse non consecravit, nam illæ non pertinent ad complementum integrale ejusdem sacrificii, sed illius à quo consecratae fuerunt.

38 Quartò, potest Sacerdos ad particulam hostiæ consecratæ, calici vel palato adherentem, in stomachum trahendam, aquam sumere. Quam facultatem concedit Missale Romanum in rubricis de defectibus Missæ. Nam tota illa actio ordinatur ad unum sacrificium, unamque refectionem sacramentalem complendam, ad quam sufficit, ut Cajetanus ait, accedere jejunum in principio totius actionis, sic enim accedis simpliciter jejunus ad totam actionem sacramentalem.

39 Quintò, potest Eucharistia sumi à non jejunio, ad vitandam gravem irreverentiam huic sacramento inferendam, puta ne veniat in manus infidelium, ne conculetur ab hæreticis, ne in lutum cadat, ne comburatur, aut ab animali devoretur: majus quippe præceptum est evitare irreverentiam sacramenti, cum hoc præceptum sit divinum naturale, quam illud sumere jejunum, cum hoc sit positivum & Ecclesiasticum.

Pp

Est

40 Est etiam alius singularis casus in quo videtur licere Sacerdoti non jejuno celebrare, si nimirum sumpto veneno mortis appropinquaret, & habens conscientiam peccati mortalis, copiam Confessoris non haberet: tunc enim posset cum contritione, vel attritione supernaturali, quam contritionem esse putat, celebrare, ut si fortè re ipsa contritus non sit, virtute sacramenti fiat ex attrito contritus. Nam in hoc casu Eucharistia est ad salutem necessaria, unde videtur hic casus per Epikeiam excipi à lege universalis.

41 Addunt aliqui alium casum in quo existimant posse Sacerdotem non jejunum celebrare, nimirum ad communicandum infirmum, alioquin sine Viatico moriturum. Id tamen non admittitur communiter: Tum quia præceptum celebrandi in azymo, aut cum vestibus sacris, non debet omitti ad communicandum ægrotum sine Viatico aliàs moriturum: Ergo similiter nec licebit non jejunum celebrare: præceptum enim celebrandi ante sumptionem cibi, non est minus grave, quam præceptum celebrandi in azymo, & cum vestibus sacris. Tum etiam quia hoc sacramentum non est tantæ necessitatis, quin potius debeat servari reverentia ei debita, quam infirmus communicare: maxime cum ægrotus in hoc casu excusetur, quia tunc non urget præceptum communicandi, cum non addit qui eum communicet.

42 Dices primò, Eodem modo dici poterit non licere infirmo post sumptum cibum aut potum sumere hoc sacramentum per modum viatici.

Sed nego consequentiam & paritatem, tum quia Ecclesiæ consuetudo declaravit in hoc casu non obligare præceptum de jejunio. Tum etiam quia est magna disparitas, ex eo quod propria necessitas hominis communicaturi (quando scilicet est in periculo mortis) est intrinseca, & quæ moraliter loquendo frequenter accidit: necessitas verò ex parte ministri est valde extrinseca & accidentaria, raroque contingit, supposita providentiâ quam habet Ecclesiâ servandi Eucharistiam pro infirmis.

43 Dices secundò, Propter similem proximi necessitatem, potest Sacerdos habens conscientiam peccati mortalis, celebrare non præmissâ confessione sacramentali, ut diximus conclusionem præcedenti: Ergò multò magis fracto jejunio, cum hæc obligatio sit tantum de jure Ecclesiastico, illa verò de Divino.

Respondet negando etiam consequentiam & paritatem, confessio enim suppleri potest per contritionem, non autem jejunium, quod licet sit de præcepto Ecclesiastico, fundatur tamen in jure divino de reverentia huic sacramento debita.

Ex quibus intelliges falsam & temerariam esse sententiam Joannis Majoris, asserentis licere Presbytero, ne infirmus sine Viatico moriatur, consecrare post prandium hostiam, imò & buccellam panis fermentati, si non esset hostia ex azymo, hocque secretò, sipe vestibus sacris, & sine Missa, per sola verba consecrationis. Quam sententiam rectè confutat Soto in 4. dist. 12. qu. 1. art. 8. circa finem.

44 Denique ex dispensatione Summi Pontificis, potest quis non jejunus celebrare vel communicare; cum enim hoc præceptum non sit Divinum, sed Ecclesiasticum, potest in eo Summus

A Pontifex ex rationabili causa dispensare, quæ dispensationis plurima extant exemplis, celebrant enim quot annis cum Cardinali celebrant vigilia Natalis Domini circa horam decimam pomeridianam. Dispensavit etiam cum Carolo V. Imperatore, ut posset non jejunus ad sacram synaxim accedere, ut scribit Marianus Strada lib. 1. de bello Belgico. Habet etiam in Gallia satis recens ejusdem dispensationis exemplum, nam non ita pridem, anno scilicet 1619. Paulus V. permisit, ut honesta quædam Matrona Lemoicensis, dicta Domina de Leudey, quotidie immediatè post prandium communicet, ad compellendum horribilem & insufferabilem totius corporis tremorem, quo Demonis maleficio, post sumptionem potestatis corripitur, etiam cum vita periculo; nisi eo festim ministraretur Sacramentum Eucharistie, quod unicum remedium, omnibus aliis frustra tentatis, huic malo seu maleficio tandem expulsum est; sed ita promptum & efficax, ut eo momento quo sacra hostia labia aut linguam contingit, tremor ille horribilis sistat, & postea quieti mos restituitur. Fui ego ipse semel persens, dum ei sacramentum Eucharistie porgeretur, & miraculum hoc, non sine stupore & admiratione, vidi.

Quoad secundam partem conclusionis, sit secundam dispositionem ex parte corporis requisitam ad dignè & fructuosè communicandum, nimirum quod communicans intra illam diem non sit pollutus, legendus est S. Thome 7. ubi sic ait: Ex quadam congruentia naturæ polutio (sumptione hujus sacramenti) impeditur, tum ad duo, quorum unum semper accidit, scilicet sorditas corporalis, cum qua propter reverentiam sacramenti non decet ad altare accedere &c. Aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur potestatem nocturnam, præcipue quando cum turpi sequacum contingit. Idem docet in resp. ad 2. de decore conjugali, ipsum nimirum ex quadam decentia impedire receptionem hujus sacramenti, propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem. Unde Hieronymus relat cap. Sicut quælit. 4. dicit super Matthæum: si non præfessionis ab his qui uxores terigerant comedant, quanto magis ille panis qui de calo descendit, non potest ab his qui conjugales panes aut habere complexibus, violari atque contingi? Non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore quod carum agni manducaturi sumus, vacare à carnalibus operibus debemus. Hæc tamen de necessitate non impediunt communionem, sed ex decentia, relinquendumque est Confessoris arbitrio, ut ipse decernat, an expedit illo die accedere ad sacram synaxim, vel abstinere ab illa. Si non magna urgeat necessitas, aut non sit dies festus, vel mos Collegii, aut Conventus, ut omnes quotidie celebrent, aut Clericus non indigeat stipendio Missæ ad victum comparandum, consilium est eâ die à celebratione vel communionem abstinere.

E Observat autem D. Thomas art. citato in corp. quod pollutio causatur interdum ex illusione Demonum: Illusio verò Demonum quæque provenit ex præcedenti negligentia præparationis ad devotionem, quæ potest esse mortale & veniale peccatum; quandoque vero provenit ex sua requiritur demonum volentium impedire hominem à sumptione hujus sacramenti. Unde legitur in relationibus

lacionibus Patrum, quod cum quidam frater pateretur A
Col: pollutionem semper in se suis, in quibus erat communican-
dam, seniores comperto quod nulla causa ab ipso process-
rat, decreverunt quod propterea à communione non cessa-
rit, & ita cessavit illusio Demonum.

Quærent hic aliqui, quoniam sint capaces man-
dicationis sacramentalis Eucharistiæ, & fructus ac
nutritionis spiritualis huius Sacramenti?

Respondeo breviter, omnem & solum homi-
nem viventem, baptizatum, esse capacem illius, nisi
pena aliquâ Ecclesiastica impediatur. Dixi om-
nem & solum hominem, ad exclusionem Angelorum,
qui non possunt propriè sumere hoc sacramen-
tum, etiam in corporibus assumptis, quia propriè
& vitaliter non manducant. Imò nec ipsum man-
ducant spiritualiter, ut docet S. Thomas hic art. 2.
ratioque id suadet, is enim tantum est capax man-
dicationis spiritualis huius sacramenti, qui est ca-
pax sacramentalis; quia manducatio spiritualis, ut
poterit vultum seu desiderium sacramentalis, suppo-
nit capacitatem ad illam: Ergo cum Angelus non
possit Eucharistiam sumere sacramentaliter, non
potest etiam manducare spiritualiter. Sicut non est
capax baptismi flammis, quia non habet capacitatem
ad baptismum fluminis. Observe tamen D.
Thomas ibidem, quod licet Angeli non mandu-
cent spiritualiter hoc sacramentum, manducant ta-
men Christum spiritualiter, per visionem beatam.
Unde egregiè Augustinus in Psal. 33. conc. 1. In prin-
cipio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus
erat Verbum. Ecce vivus sempiternus, sed manducant
Angeli, manducant superna Virtutes, manducant celestes
Spiritus, & manducant, & saginantur &c. Addidi ho-
minem viventem, ad exclusionem hominis mortui,
quia homo mortuus non potest manducare. Sub-
iunxi Baptizatum, quia Baptismus est janua omnium
sacramentorum, & per illud datur potestas ad re-
cipienda sacramenta modo sacramentali: unde Ca-
techumeni, tamen habent votum Baptismi, &
sunt per gratiam & charitatem iustificati, non pos-
sunt tamen recipere Eucharistiam sacramentaliter.
Dixi tandem, Nisi pena aliquâ Ecclesiastica impedia-
tur, quia per excommunicationem maiorem pri-
vatur fideles passiva & activa administratione sa-
cramentorum.

Hec sunt certa & indubitata apud omnes, sed
difficultas & controversia est inter Theologos,
an infantes & perpetuo amentes sint capaces sa-
cramentalis mandicationis Eucharistiæ: quibus-
dam id affirmantibus, aliis verò negantibus. Sed
probabilior sententia est, parvulos & perpetuo
amentes, esse quidem incapaces mandicationis
sacramentalis propriè sumptæ, quia hæc præter
vitalem comestionem requirit actualem notitiam
huius sacramenti, ut sacramentum est: unde infide-
les aut bruti, etsi species consecratas comedant,
non manducant tamen Eucharistiam sacramenta-
liter, ut docet S. Thomas hic art. 3. ad 2. & 3. Parvuli
tamen idonei sunt ad percipiendum fructum &
nutritionem spirituales huius sacramenti: Nam o-
lim in primitiva Ecclesia parvulis statim post bap-
tismum solebat ministrari Eucharistia, teste Dionysio
cap. ultimo libri de Ecclesiastica Hierarchia, & Cy-
priano, de lapsis, ubi narrat mirabilem casum de
puella, cui cum incisis parentibus datum fuisset ali-
quid de idolothitis, eique postea, juxta consuetudi-
nem illius temporis, daretur sanguis Christi, relu-
ctans illum accepit, acceptumque statim evomit:
quasi non potuerit (inquit Sanctus ille Martyr) in
corpore atque ore violato Eucharistia permanere. Hunc
Tom. 7.

morem non reprobant Tridentinum sess. 21 cap. 4.
nec damnandos iudicat Patres qui illum induxe-
runt: cum tamen maximè dammandi fuissent, si Eu-
charistia nullum fructum conferret parvulis; nun-
quam enim licet ministrare sacramenta iis in qui-
bus suum effectum habere non possunt: Ergo par-
vuli sunt capaces fructus huius sacramenti, & gra-
tiæ nutritivæ quæ datur per Eucharistiam, sicut sunt
idonei ad recipiendam gratiam roborativam quæ
datur per Confirmationem.

Dices, Impossibile est aliquem esse capacem
fructuosæ mandicationis Eucharistiæ, & non esse
capacem sumptionis sacramentalis ejusdem; nam
sacramentaliter manducare Eucharistiam, nihil ali-
ud est quàm cum fructu recipere hoc sacramentum:
Ergo si parvuli non sunt capaces mandicationis
sacramentalis Eucharistiæ, non sunt etiam capaces
mandicationis fructuosæ illius.

Respondeo negando Antecedens, ad cuius pro-
bationem, nego etiam Antecedens, nam hoc sacra-
mentum fructuosè manducare, est illud recipere
cum effectui, vi mandicationis passivæ; illud verò
manducare sacramentaliter, est illud recipere ut
prædicum signum gratiæ formaliter, subindeque
cum notitia æquali illius.

ARTICULUS III.

An communio sub utraque specie potuerit La-
icis ab Ecclesia prohiberi, & convenienter ac-
iustis de causis fuerit eis prohibita?

§. I.

Quibusdam præmissis, duplici conclusione dis-
tinguitur.

Cum Sacerdos celebrans sacrificium Eucharis-
ticum, teneatur illud perficere & consummare: sumptio autem utriusque speciei pertineat ad
consummationem talis sacrificii, certum est, com-
munionem sub utraque specie, esse necessariam ne-
cessitate præcepti, respectu Sacerdotis celebrantis:
quod tamen intelligendum est, solum quando cele-
brat principaliter, quoniam quando Neomystæ,
seu Sacerdotes noviter ordinati, simul cum Episco-
po celebrant, non communicant sub utraque specie.
An autem illud præceptum sit divinum, vel tantum
Ecclesiasticum, non est ita certum, vel tantum; quia
licet omnes fateantur intentionem & præceptum
Christi esse ut hoc sacrificium consummatur ab alio,
videtur tamen sufficere quod sumatur id quod con-
secratum est, vel ab eo qui consecravit, vel ab alio
Sacerdote. Quantum verò ad Laicos, paulò ante
Concilium Constantiense orta est apud Bohemos
hæresis affirmantium communionem sub utraque
specie esse de necessitate salutis, subindeque non
posse Ecclesiam laicos privare usu calicis, quos se-
cuti sunt nostri Novatores Lutherani & Calvinis-
tæ, conclamantes Ecclesiam Romanam tyrannicè
populum usu calicis privare.

Huius celebris difficultatis resolutio pendet
ex decisione alterius, an scilicet sit de jure divino, &
institutione Christi, communicare sub utraque
specie. Si enim sit de jure divino, non poterit
Ecclesia prohibere usum calicis; si verò nullum